

VIET-CHI POST N. 44 m. Dec. d.XV, a. 2009

IN OCEANO MARI (Hải Thượng Tân Thư)

Magistri Phan-Hoang epistularum series

QUARTA Epistula:

DE VIETNAMITICI GLADII ANIMA HỒN KIẾM VIỆT

Ad CHI-KIEM discipulos Magister dicavit
Exemplar ad Pro Pace Instructores, Viet-Chi Post, Vo-Viet Journal misit

Haec tertia epistula Seriei "IN OCEANO MARI" est

(TERTIAE Epistulae pars secunda)

Montisrubri semita infinita videtur, dum magis magisque ad eius cor me admoveo. Fessior sum, nam cum sole experrectus sum et nunc, dum sol in caelo fulget, iter deruptius fit. Ante lucem e deversorio egressus sum paululumque cibi tantum sumpsi. Nunc esurio. Cum prospecto, semitam leniter ascendentem inter arbores silvasque video. Cum respicio, longam semitam ad me currentem cerno. Locorum vero nullam notitiam habeo: nescio si prope Vernam, amoenum vicum inter haec amoena, sim an non. Haud dubie ad meridiem vici Montisrubri est, unde XIV chilometra abest, sed nunc inter semitas aberro.

Dum progredior, magnum saxum ad laevam video, comiter invitans ut sidam. Nunc, oculis compressis, vehementer aera spiritu ducturus sum. Aer purus et tenuis corpus et mentem corroborat. Cum oculos aperio, pulchrum *tiên* non video, quod in Vietnam non sum. Vietnamiticae fabulae narrant in excelsis montibus pulcherrimos sapientissimosque homines vivere, magicam virtutem habentes. Ii immortales sunt. Nunc in Vietanmiticis montibus non sum: fessus, per desertas Italicas semitas erro. Italicus *tiên*, mea sententia, inter nubes vel in alto mari vivit, latrones, autem, in quos rate incurrere non vis, in silvosis montibus se celant!

Nunc universi mundi animum sentire possum, tamen quae extra sunt non percipio. Animi mundus quinque milia annorum est meique mundi pars. In Vietnam historica itinera sunt, victricia aut acerba, quae in ludo didici vel de quibus parentes et magistri fabulas narraverunt. Aliqua emensus sum, quae experentia memoria digna fuit. Oculis iterum compressis, fabulas de Trang-Si Viet (i. e. de antiqua disciplina Vietnamitici nobilis hominis) recognovi, quae similior Occidentali doctrinae quam antiquae Iaponicae disciplinae hominum militarium, qui Samourai nominantur, est.

Puer, multas fabulas de gladio collegi. Quas clam taciteque amavi. Et fabulam de regis Le-Loi gladio inveni, qui eum in lacum urbis Hanoi remisit; de regis Hung gladio, qui sororem necavit; de terrifici regis Nguyen-Hue gladio, qui ausus est dicere eum reum esse. Permulti miri gladii sunt: gladius micans reginae Bat-Nan, gladius cantans imperatoris Ly-Thuong-Kiet, gladius fleens iuvenis comitis Tran-Quoc-Toan, gladius infragilis imperatoris Hung-Dao, gladius tonans Magistri Nguyen-Trung-Truc, gladius invictus Magistri Hoang-Dinh-Bao, mysticus gladius cui nomen est Van-Thang- Guom. Haec fabulae, laetae vel mestae, iocundae vel tristes, omnes ad Vietnamitici nobilis hominis disciplinam pertinent.

Urbi Hanoi, ubi natus sum, arcanum nomen 'Draco Surgens' (Thang-Long) est, quod, cum pulchrius suaviusque quam nomen Hanoi est, in tuo animo manebit. Saeculis vertentibus, Thang Long tam multas

res gestas vidit ut in omnibus angulis urbis vestigia sunt. Claram urbem Thang-Long, ubi egregiae res gestae sunt, celeberrime potius quam Hanoi, quae, cum domus Nguyen imperium cepit, prolapsa est. Fabulae quas collegi, cum in urbe Thang-Long essem, gladii et baculi Vietnamitici animam illustrant; fabulae autem, in meridianis collectae, Vietnamiticae martialis artis nostrorum temporum animum ostendunt, qui nominatur "Hao-Hon Giang-Ho" (i. e. liber animus magni viri bello boni orbem terrarum circumeuntis). Pulcherrimae istae fabulae sunt, quod in iis portenta una cum rebus veris invenimus. Res formam constituit, fabula voluptati est. Fictione quoque delectamur, paulisper tamen. Fabula vero aeterna est, quod historiae pars et popularium narrationum quoque: patrimonium generis humanis est. Ex fabulis historiisque cognovi antiquitus Vietnamiticos putare Trang-Si gladium animam habere. Fuerunt gladii de nocte deplorantes, gladii qui magistrum germanum servire voluerunt. Alii magistros, proelio victos,ulti sunt, alii turpe certamen defugerunt. Num gladio animus est? Hoc maxime interest discipulorum Viet Chi-Kiem.

Dum leniter super semitam labor de saxo, gladium Cam-Lai-Kiem e vagina educo et formam spirandi artis Viet Chi-Kiem incipio. Melius valeo, sed fessior sum. Postea formam cotidianam Nhat-Luyen-Kiem facio. Ex 108 motibus constat, ut in quattuor praecipuis gladii ictibus te bene exerceas. In illa exercitatione in Montisrubri semita meus gladius Cam-Lai Kiem mecum locutus est. Meus ligneus gladius dixit meos gestus neglegentes esse, ictus languidos, vim remissam. Ita plane est: meus gladius Cam-Lai-Kiem solitus est mecum loqui. Ego tacitus aurem praebeo. Oblitus cibi desiderii, in exercitatione magnum processum habeo, ita ut statim meum consuetum usum recuperem. Gladius approbat, nam "Vuf" dicit, dum acriter caesim peto. Laetus sum frontemque explico. Mea parvi interest quid de gladio loquenti homines sentiant. Mea permagni interest illud, ut intellegam quid gladius dicat in mea cotidiana exercitatione una cum eo.

Octo initia ictuum in Gladii arte sunt. Suam vocem quisque habet. Ista vox tibi dicit si ictus legitimus acerque est, remissus aut firmus, neglegens aut diligens. Ictum adversum facile audies; ictum aversum transversum peritus tantum audiet. Si cum aliis discipulis istius artis te exercebis, cum gladii concurrent, permulta voces tibi dicent, si aures praebebis. Eorum animos motionesque intelleges: si quieti aut irati, terroribus indomiti aut pavidi, placidi aut impatientes sunt. Ita est: tuus gladius tibi dicet permulta de te et de tuo adversario. A. 1786, clarus pugnator, imperator Chinh (NGUYEN Huu-Chinh), cum hostem in certamine superavisset, sua virtute excellentiaque gloriosus, magna cum insolentia in vaginam gladium recondidit. Gladius vocem inusitatam edidit. Ille portentum neglexit. Peritus Trang-Si autem, qui sonum audiverat, auguravit secundae fortunae finem proximam. Prudenter a superbo imperatore discessit et in vitam privatam concessit. Anno proximo, 1787, superbus imperator Chinh profligatus et securi percussus est.

Imperator Hoa (NGUYEN Van-Hoa) illum singularem gladium cepit. Qui gladium spectavit ut eius virtutem cognosceret. Interiectis aliquis diebus, loco Giang-Vo nominato, in urbe Thang-Long, gladium captivum temptavit. Tria certamina fuerunt. Cum peritissimus bellator esset, cum se victorem discessurum esse praenuntiavisset, victus discessit. Gladium nolle suum ministrum esse intellexit. Iratus voluit indomitum gladium comminuere. Alio gladio eum percussit, sed hic fractus est, cum magicus gladius periculo integer evasit. Tunc imperator relevatus est. In mensam intrepidum gladium reverenter misit. Omnibus inspectantibus, gladium veneratus est, asserens eum in libertatem. Nemo illorum ausus est gladium tangere. Iuvenis quidam, obscurus infimusque, processit et gladium cepit, cum tres veneratus esset. Gladium e vagina eduxit et difficillimam formam *Phuong-kiem* fecit. Nullam vocem gladius emisit: ita peritissimum illius artis puerum esse declaravit. Cum iuvenis eum in vaginam recondidit, gladius, submisit, dulcissimum sonum edidit.

Hoc modo se eius ministrum fore declaravit. Senex miles, clarissimus inter omnes, statim gladium veneratus est et iuveni gratulatus magicum gladium captum. Circumstantes, quia sonum non perceperant, obstupuerunt.

Gladius, tenui voce, dixerat se iuturum defensurumque esse iuvenem et eius fidelem ministrum fore.

(secundam partem in proximam epistulam invenies)

Phan-Hoang (m. Nov. a. 2009)